

nostri osculantes vestigia queso commendatos habere, ad quorum et nostrae iniunctionis eloquium, mei benignissimi imperatores et domini, dignas iubeatis inclinare aures tam verbotenus quam quod et per capitulare designatum plenissima eis adsit imperialis vestrae potestatis credulitas. Ob his enim, serenissimi imperatores et domini, summa cum humilitate victricem excellentiam vestram omnipotens Dominus per multorum annorum curricula incolumes conservare et regere dignetur. Com mendamus nostram fragilitatem vestris serenissimis imperialibus obtutibus, nunc et semper. Amen.

47. — 825-6. *Gli imperatori Ludovico Lotario al patriarca Venerio.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 31 v., n. 22; cod. marc. lat., X, 181, f. 27; 310, p. 43; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 216 v.; 77, c. 98.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1103.

In nomine Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlodovicus et Hlotarius, divina ordinante providentia, impp. augusti, Venerio, venerabili patriarchae, aeternam in Domino salutem. Suscepimus literas sanctitatis tuae, quas nobis per Petrum diaconum direxisti, easque coram nobis relegi fecimus, in qua referimus quod nobis suggessisti ut preceptum, quod pie recordationis dominus genitor noster, rogante domino Ioanne, antecesore tuo, ecclesiae Grandensi conscribere iussit, nostrae auctoritatis oraculo confirmaremus. Quod pro reverantia atque honore beatissimorum martyrum Marci et Hermagorae statim ita fieri praecipimus, necnon et cetera capitula, quae idem diaconus ore proprio proferendo nobis intimavit, propter honorem et venerationem memoratorum sanctorum martyrum, quibus vestra sancta devotio deservire dinoscitur, et libenter audivimus, et, ut ad effectum pervenirent, epistolas nostras, quas vos vel idem diaconus indicaverat, conscribere iussimus, videlicet ad dominum apostolicum propter usum palii, propter servos ecclesiae tuae, qui in ministerio